



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvæ Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

47. De negotiatione quære[n]te bonas Margaritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

*MEDITATIO XLVII.*  
**DE PARABOLA NEGOTIATORIS QUÆRENTIS BONAS MARGARITAS.**

PUNCTVM I.

a Mat. 13. 45



*SIMILE est a regnum cælorum homini Negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit & vëdidit omnia quæ habuit, & emit eam.*

I.

PRIMUM est considerandum officiũ & studium omnium hominum esse, bonas quærere margaritas: oēs enim, quod bonum & pretiosum est, quærunt; quamuis aliter atque aliter. Alij enim gemmas quærunt bonorũ temporaliũ, diuitias, dignitates, & alia, quæ mundus pretiosa iudicat; alij gemmas quærunt artium & scientiarum humanarum, aut solo intuitu sciendi, aut honores & luera acquirendi; alij margaritas quærunt moralium & politicarũ virtutum, vt in sua Republica & cõmunitate, vt rerum periti viuant: Officiũ autẽ & studium Christiani, qui regnum cælorũ assequi desiderat, est, quærere gemmas veritatũ, & virtutum cœlestiũ, ac diuinarum: quæ reipsa, & pleno vt dicitur ore, bonæ sunt & pretiosæ; quæ ipsum habentem, faciunt bonum & pretiosum

in ocu-

in oculis Dei. Et quoniam huiusmodi margaritæ seu gemmæ dicuntur Vniones, quia vnaquæque est in propriis excellentijs vnica, & inter alias singularis; ita vnaquæque virtus est vnica & singularis in aliqua excellentia: quâuis hæc varietas non obstat, quò minùs omnes perfecta vnione coniungantur ad eum ditandum, qui illas inuenit, & eundem cum suo creatore coniungendum.

HINC colligam, studium & negotiationem meam præcipuam eam esse debere, vt veras margaritas seu vniones quæram, mihi persuadens, quandoquidem mercator sum & negotiator, non debere me vilibus mercibus & abiectis, & ex quibus exiguum lucrum sperem, occupari; & multò minùs si & fortunas & operam in eis perdam. Nec studium meum principale esse debet, margaritas quærere bonorum temporalium; quæ nec bonum me facient, nec sufficient vt me ad regnum cælorum deducant: ac propterea non debeo tales pretiosas iudicare; potiùs ex toto corde contemnere & conculcare: quatenus secularis superbix, ambitionis, auaritiæ, & aliorum vitiorum occasionem præbent. Nec præcipuus meus scopus esse debet, quærere gemmas sciètiarum humanarum: quia vt ait Apostolus *b scientia inflat*: suntque curiositatis & vanitatis alimentum; possumque sine eis saluari. Nec satis mihi esse debet, gemmas quærere virtutum politicarum, quæ sæpè nihil aliud habent, quàm externam virtu-

Ex Plinio  
lib. 9. c. 35.

II

b 1. Cor. 8. 3

tum speciem: quia in externis operibus apud homines splendent: aut certè sunt gemmæ falsæ & fictitiæ, quales sunt hypocritarum; qui probi, studiosi haberi student: quibus si velim esse contentus, in hora mortis me valdè deceptum depræhendam; & credens me valdè esse diuitem, inueniam me pauperem & miserabilem.

PRÆCIPVE itaque quærendi mihi sunt pretiosi vniones veritatum, quas Deus reuelauit, vt eas intelligam, & credam viuâ fide, *c* *Heb. 11. 6* *c sine qua, impossibile est placere Deo.* Deinde quærendæ mihi sunt virtutes supernaturales, gratia, charitas, obedientia, patientia, humilitas, oratio, & similes: quibus siam bonus & sanctus; & regnum cœlorum ingrediar: Reliqua illa temporalia bona aut scientias secundo loco quærere licet, quatenus iuuare me possunt ad veros & pretiosos vniones quærendos.

III.

SVPER omnia tamen studium & negotiatio mea esse debet, Iesum Christum verum Deum & hominem quærere, qui orientalis est margarita pretiosissima; quæ roris instar de cœlo descendens in beatissimæ Virginis utero, virtute Spiritus sancti factus est homo, ad honorem & ornatum hominum. hæc est margarita eminenter bona, à qua vniuersa bonitas promanat: quam procurare debeo possidere, & mecum semper retinere, & thesauris eius gratiarum & virtutum ita ditari, vt vnus sim ex illis, de quibus David

d hæc

*hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* O mundi Saluator verus margaritarum negotiator, quatenus è cœlo ad quærendas animas descendisti, margarita verè pretiosissima, quam negotiatores omnes, vt ditemur, quære debemus: siquidè venisti in terram, vt bonas & pretiosas margaritas veritatum & virtutum cœlestium nobis indicares; ostende mihi illas, vt quæram, non specie tantùm externa, sed in veritate: non, vt per illas honorem meum, voluptatem, aut lucrum quæram; sed tibi placere, te quæ per infinita secula possidere. Amen.

*dPsal. 23.6.*

## PUNCTVM II.

**C**ONSIDERANDVM deinde, qua ratione quærendæ sint hæ margaritæ: siquidem vult Christus, vt illas quæramus, & nos in hac negotiatione occupemus.

PRIMVM quærentur pretiosæ margaritæ oratione; qua petimus à Deo, vt illas nobis ostendat; idque incessanter, & importunè: siquidem ipse iussit: *apetite, & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* *a Matt. 7.7*

I.

DEINDE quærentur Meditatione intellectuali; diuina illustratione eum præueniente & adiuuante; fodiendo adeo altè circa veritates & mysteria fidei, & circa virtutum excellentiam; donec veram earum intelligentiam, & æstimationem assequamur.

II.

TERTIÒ quærentur desiderijs & affectibus

voluntatis, quæ, diuina inspiratione præuen-  
ta, suspirat, vt has margaritas possit obtinere;  
applicatque propriij arbitrij libertatem, vt eis  
medijs illas quærat, per quæ Deus quæri illas  
voluit: qualia sunt opera pœnitentiæ, lectio  
piorû librorum, frequentia Sacramentorum,  
sanctissimæ Eucharistiæ præcipuè, quæ instar  
est conchæ, intra quam pretiosissima marga-  
rita Christus Dominus noster continetur; vt  
reliquarum virtutû gemmas nobis commu-  
nicet. Et hoc est vere negotiatores nos esse;

b 1. Thesal.  
4. 11.

&, vt Apostolus loquitur, *b negotium nostrum  
agere*. Quod si huius mundi negotiatores adeo  
sunt cupidi & in gemmis terranis quærendis  
soliciti, vt plurimis se periculis eas inueni-  
endi gratiâ exponant: quantò magis rationi  
est consonum, me esse sollicitum, vt has cœle-  
stes margaritas quæram, eas petens orationi-  
bus, quærens meditationibus, affectibus &  
desideriis suspirans, Deo quæ obediens, in me-  
dijs illis adhibendis, quæ ipse statuit, vt inue-  
nirentur? O mundi Saluator, fac me negotia-  
torem diligentem & cupidum, vt diuinæ sa-  
pientiæ margaritam *c quasi pecuniam quæram,  
& sicut thesauros effodiam* siquidem hac ra-  
tione quæretî promittis, me eam inuenturum.

c Prou. 2. 4.

PUNCTVM III.

a Matt. 13.  
46.

I.

**N**EGOTIATOR, a inuenta vna pretiosa  
margarita, vendidit omnia quæ habuit,  
& emit eam. **PERPENDENDVM** primò:  
hanc margaritâ appellari vnam & pretiosam:

quia

quia Christus Dominus noster est vnus, verus Deus & homo; & quamuis virtutes sint plurimæ, omnes tamen ita vnitæ sunt, & coherent, atque si vna essent, coniunctæ *b Coll. 3. 14.*  
*te, qua, vt ait Apostolus, vinculum est perfectio-*  
*nis: & illa est, quæ hominem cum Deo & cum*  
 Christo, & cum proximis omnibus coniungit, & vnum cum illis facit, atq; si *c cor illorum*  
*esset vnum & anima vna.* Et sicut inter cõchas maris, in quibus margaritæ continentur, vna est quasi dux, quam cæteræ sequuntur; & quæ capta, facilè reliquæ capiuntur: ita quia charitas dux est omnium virtutũ, qui illam obtinuerit, reliquas obtinuerit: vt enim Apost. ait *d charitas omnia suffert, omnia credit, omnia*  
*sperat, omnia sustinet, & in omnibus obedit.* *d r. Cor. 13. 7*

DEINDE pretiosam hanc gemmam inuenire, est luce fidei ad eam penetrare, eius excellentiam & pulchritudinem videre, eius dulcedine & suauitate frui: quæ tanta est, vt mox eam inuenientis cor ita ad se rapiat, vt absque mora, & sponte, quæcunque habet, vendat; & quæcunque impedimento illi esse possunt, abijciat; vt integrè illam possidere possit: immò omnẽ amorem & affectus rerũ terrænarũ, quæ illi cõparandæ, & intra se possidendæ contrariæ sunt, exuat ac deponat: immò hoc totũ, quod pro illa obtinenda à se abiicit, parum esse indicat, iuxta illud *e si dederit homo omnẽ substã-*  
*tiam domus sua pro dilectione, quasi nihil despi-*  
*ciet eam.* O charitas pretiosissima, ô amoris vnio excellentissime, ô Deus amabilissime,  
 qui

II.

*c Cant. 8. 7.*

qui

f. 1. Cor. 6.  
17.

qui & vocaris charitas, & margarita es infiniti valoris, ita vnus in essentia, vt quamuis trinus sis in personis, adeo sis vnitatis amator, vt omnes qui ad te accedunt, tibi que iunguntur, *f vnum* facias eos *spiritū tecum!* ostende mihi margaritam hanc *vnam & pretiosam;* fac me affici erga illam, & eam reuera possidere: ecce pro illa offero quidquid habeo, & si plus haberem, plus etiam pro illa offerrem: quia eius valoris comparatione, quidquid habeo est parum. Dona mihi ergo illam gratis, vt ego etiam tibi non propter mercedem, sed gratis & ex puro amore deseruiam.

III.

*LVXIA* hæc prædicta me ipsum ingrediens, diligenter interiùs examinabo, *primum*, num queram fictitias & in specie tantum apparentes margaritas? delectabo autem, si quid temporis in hoc consumpsi hæcenus, aut etiamnum consumo. *Deinde*, num veras margaritas quidem, sed adeo negligenter & oscitanter queram, vt eas non inueniam, propterea quod apta ad id media non adhibeam? *Tertio*, num decreuerim omninò pretium dignum pro illis dare, hoc est renuntiare omnibus, quæ possideo, saltem affectu? & exquiram, num in corde meo aliquid amoris proprii & terrenarum affectionū resideat? & statuam viriliter, quidquid tale est mortificare, & ex anima mea extirpare: quia cupiditatis iminutio est augmentum charitatis.



## PUNCTVM IV.

**Q**UARTO considerabo, hanc margari-  
 tam *vnam & pretiosam* esse etiam Eu-  
 angelicam perfectionem, quam reli-  
 giosi profitentur, ad imitationem Christi Do-  
 mini nostri; quæ eminenter dicitur *vna*, quia  
 eminenter complectitur executionem duo-  
 rum præceptorum charitatis, a *diligere* scili-  
 cet *Deum ex toto corde, & in tota anima & ex*  
*omnibus viribus* & alterum, quod Christus huic  
*simile* appellat *diligere proximum tuum sicut*  
*teipsum*, aut b *sicut ipse Christus dilexit nos.*  
 Et vt apud homines duæ perlæ sibi similes,  
 magni sunt pretij, & pro inauribus solent ap-  
 pendi; ita duæ istæ margaritæ dilectionis Dei,  
 & proximi propter Deum, quæ sibi sunt simi-  
 les, & admirandas faciunt cõiunctiones, pre-  
 tiosissimæ sunt, & plurimi eas Deus & Angeli  
 faciunt; & in religiosis congregationibus ex-  
 cellenter exercentur, eisque tanquam inau-  
 ribus ornantur aures animæ, quæ sunt Fides  
 & obedientia; concurrentibus omnibus reli-  
 giosis in vnum, ad omnia exercitia religionis,  
 non ex necessitate aut c *coacti, sed spontaneè &*  
*voluntariè* ex charitate, quod adeo cœlesti  
 sponso arridet, vt dixerit: d *vulnerasti cor*  
*meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in*  
*vno oculorum tuorum*: in vnione videlicet iu-  
 storum tuorum: nam sicut vterque hominis  
 oculus sunt sibi similes, & simul faciunt suas  
 operationes, & quo vnus tendit alter sequi-  
 tur;

a Matt. 22.

37.

b Ioan. 13.

34. &amp; 15. 12.

c 1. Pet. 5. 2.

d Can. 4. 9.

Ex D. Gre-  
gor. *ibid.*

tur;

tur; ita religiosi sunt sibi similes in moribus, & simul ad actiones religiosas concurrunt. Deniq; tanta est huius gemmę pretiositas & valor, vt cui Deus sua illustratione illam reuelat, mox ille magnã suã voluptate vendat omnia sua, deserat mundũ, exeat ex terra sua, & affectum omnẽ ad res suas exuens, oẽs tradat pro hac gemma, & statũ adeat religionis. Et, vt dixit S. Laurentius Iustinianus, studio Deus huius margaritę valorem non omnibus aperit: quia si illam viderent, oẽs illam vellẽt sibi comparare; & sic nõ esset, qui vellet in seculo remanere. O Deus æterne, qui dixisti: *inueniunt me qui nõ quęsierunt*, quia tuis inspirationibus eos præuenis, vt te inueniant; ostende mihi valorem harum gemmarum, vt ita eas quęram, vt etiã inueniam. Ne permittas, vt vulnerem cor tuũ plagã doloris, ob disensionem cum fratribus meis; sed plagã amoris, ob vnitionem & cõiunctionem cum illis. Aperi etiam pretium & valorem vitę religiosę illis, qui ad illam sunt apti; vt cum voluptate illam sibi comparent; multoq; amplius eandem illis manifesta, qui iam illam compararũt, & in ea viuunt; & gaudio exultent, quod eam compararint; & finem illum assequantur, propter quem illam adierunt, Amen. *Ratio & modus, quo Christus Dominus noster pretiosas animarum margaritas quærir, in proxima Meditatione ponetur.*

In eius vi  
ta.

e Isai. 65. 1.